

numero enim ab æquinoctiali versus centrum Astrolabij seu tropicum cancri.

Pari ratione volo scire quantam habeat declinationem Antares seu cor scorpion; circumducto reti ut antea, statuo apicem stellæ in linea meridiana & inuenio ipsam cadere extra tropicum capricorni: numerando igitur parallelos inter æquatorem & apicem dictæ stellæ interiacentes, depræhendo eius declinationem 25 grad. circiter versus Austrum, numero enim ab æquatore versus tropicum Capricorni 6. parallelos, qui cōstituunt in Astrolabijs quinque partijs 25 gradus.

Sic vice versa ex declinatione inuenta gradum Zodiaci, seu locum stellæ, cui talis declinatio competit, in linea meridiana inuenies; si enim declinationem datam in linea meridiana per parallelos ab æquatore numeres, vel versus centrum, si borealis sit, vel versus tropicum Capricorni, si Australis, & circumduca rete tam diu, donec gradus Ecclipticæ, seu stellæ apex præcisè cadat in finem seu terminum numerationis, tali gradui Ecclipticæ seu stellæ congruet declinatio talis, siue borealis illa sit, siue Australis, & præterea tribus alijs punctis æqualiter à punctis æquinoctiorum remotis. Vt exempli gratia. Volo scire cui puncto Ecclipticæ competat declinatio 11. grad. versus Austrum, circumducto reti, inuenio principium pisciū, præcisè in linea meridiana attingere terminum talis numerationis: eandem igitur declinationem habebit principium tauri versus boream, quia utrumque punctum æqualiter remouetur ab ariete, unum versus Austrum, alterum versus boream; sic principium ♎ & ♍, quæ pariter remouentur æquali distantia ab altero puncto æquinoctij, nempe libra, illud versus boream hoc versus austrum, idem de reliquis esto iudicium.

Declinatio autem nihil aliud est, quam recessus stellæ alicuius, seu puncti Ecclipticæ ab æquinoctiali circulo; quemadmodum latitudo ab Eccliptica versus alterutrum polorum.

C

MAXI-